

Vorbereidend  
Wetenschappelijk  
Onderwijs

Tijdvak 1  
Woensdag 19 mei  
9.00–12.00 uur

**Tekstboekje**

## Tekst 1

In de onderstaande tekst geeft Cicero een beschrijving van de aanhang van Catilina.

1 — 1 Sed cur tam diu de uno hoste loquimur et de eo hoste qui iam fatetur se esse hostem,  
2 et quem, quia, quod semper volui, murus interest, non timeo: de his qui dissimulant, qui  
3 Romae remanent, qui nobiscum sunt nihil dicimus? Quos quidem ego, si ullo modo fieri  
4 possit, non tam ulcisci studeo quam sanare sibi ipsos, placare rei publicae, neque id qua re  
5 fieri non possit, si iam me audire volent, intellego. Exponam enim vobis, Quirites, ex quibus  
6 generibus hominum istae copiae comparantur; deinde singulis medicinam consili atque  
7 orationis meae, si quam potero, adferam.

2 — 8 Unum genus est eorum qui magno in aere alieno maiores etiam possessiones habent  
9 quarum amore adducti dissolvi nullo modo possunt. Horum hominum species est  
10 honestissima – sunt enim locupletes – voluntas vero et causa impudentissima. Tu agris, tu  
11 aedificiis, tu argento, tu familia, tu rebus omnibus ornatus et copiosus sis, et dubites de  
12 possessione detrahere, acquirere ad fidem? Quid enim exspectas? Bellum? Quid ergo? In  
13 vastatione omnium tuas possessiones sacrosanctas futuras putes? An tabulas novas?  
14 Errant qui istas a Catilina exspectant: meo beneficio tabulae novae proferuntur, verum  
15 auctionariae; neque enim isti qui possessiones habent alia ratione ulla salvi esse possunt.  
16 Quod si maturius facere voluissent neque, id quod stultissimum est, certare cum usuris  
17 fructibus praediorum, et locupletioribus his et melioribus civibus uteremur. Sed hosce  
18 homines minime puto pertimescendos, quod aut deduci de sententia possunt aut, si  
19 permanebunt, magis mihi videntur vota facturi contra rem publicam quam arma laturi.

3 — 20 Alterum genus est eorum qui, quamquam premuntur aere alieno, dominationem  
21 tamen exspectant, rerum potiri volunt, honores quos quietia re publica desperant perturbata  
22 se consequi posse arbitrantur. Quibus hoc praecipendum videtur, unum scilicet et idem  
23 quod reliquis omnibus, ut desperent id quod conantur se consequi posse: primum omnium  
24 me ipsum vigilare, adesse, providere rei publicae; deinde magnos animos esse in bonis viris,  
25 magnam concordiam ordinum, maximam multitudinem, magnas praeterea militum copias;  
26 deos denique immortales huic invicto populo, clarissimo imperio, pulcherrimae urbi contra  
27 tantam vim sceleris praesentes auxilium esse laturus. Quod si iam sint id quod summo furore  
28 capiunt adepti, num illi in cinere urbis et in sanguine civium, quae mente conscelerata ac  
29 nefaria concupiverunt, consules se aut dictatores aut etiam reges sperant futuros? Non  
30 vident id se cupere quod, si adepti sint, fugitivo alicui aut gladiatori concedi sit necesse?

4 — 31 Tertium genus est aetate iam adfectum, sed tamen exercitatione robustum; quo ex  
32 genere iste est Manlius cui nunc Catilina succedit. Hi sunt homines ex eis coloniis quas  
33 Sulla constituit; quas ego universas civium esse optimorum et fortissimorum virorum  
34 sentio, sed tamen ei sunt coloni qui se in insperatis ac repentinis pecuniis sumptuosius  
35 insolentiusque iactarunt. Hi dum aedificant tamquam beati, dum praediis lectis, familiis  
36 magnis, conviviis apparatus delectantur, in tantum aes alienum inciderunt ut, si salvi esse  
37 velint, Sulla sit eis ab inferis excitandus: qui etiam non nullos agrestes homines tenues  
38 atque egentes in eandem illam spem rapinarum veterum impulerunt. Quos ego utrosque in  
39 eodem genere praedatorum direptorumque pono, sed eos hoc moneo, desinant furere ac  
40 proscriptiones et dictaturas cogitare. Tantus enim illorum temporum dolor inustus est  
41 civitati ut iam ista non modo homines sed ne pecudes quidem mihi passurae esse videantur.

5 — 42 Quartum genus est sane varium et mixtum et turbulentum; qui iam pridem premuntur,  
43 qui numquam emergunt, qui partim inertia, partim male gerendo negotio, partim etiam  
44 sumptibus in vetere aere alieno vacillant, qui vadimoniis, iudiciis, proscriptione bonorum  
45 defetigati permulti et ex urbe et ex agris se in illa castra conferre dicuntur. Hosce ego non  
46 tam milites acres quam infitiores lentos esse arbitror. Qui homines quam primum, si stare  
47 non possunt, conruant, sed ita ut non modo civitas sed ne vicini quidem proximi sentiant.  
48 Nam illud non intellego quam ob rem, si vivere honeste non possunt, perire turpiter velint,  
49 aut cur minore dolore perituros se cum multis quam si soli pereant arbitrentur.

*Cicero, In Catilinam 2, 17-21*

## Tekst 2

Portret van een aanhanger van Catilina.

1 Sed in ea coniuratione fuit Q.Curius, natus haud obscuro loco, flagitiis atque facinoribus  
2 coopertus, quem censores senatu probri gratia moverant. Huic homini non minor vanitas  
3 inerat quam audacia: neque reticere quae audierat neque suamet ipse scelera occultare,  
4 prorsus neque dicere neque facere quicquam pensi habebat. Erat ei cum Fulvia, muliere  
5 nobili, stupri vetus consuetudo; quoi cum minus gratus esset quia inopia minus largiri  
6 poterat, repente glorians maria montesque polliceri coepit et minari interdum ferro, ni sibi  
7 obnoxia foret, postremo ferocius agitare quam solitus erat. At Fulvia insolentiae Curi  
8 causa cognita tale periculum rei publicae haud occultum habuit, sed sublato auctore de  
9 Catilinae coniuratione quae quoque modo audierat compluribus narravit. Ea res in primis  
10 studia hominum adcendit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni. Namque antea  
11 pleraque nobilitas invidia aestuabat, et quasi pollui consulatum credebant, si eum quamvis  
12 egregius homo novos adeptus foret; sed ubi periculum advenit, invidia atque superbia post  
13 fuere.

*Sallustius, De coniuratione Catilinae 23*

---

## Tekst 3

Portret van een aanhanger van Catilina.

1 Sed in iis erat Sempronia, quae multa saepe virilis audaciae facinora commiserat. Haec  
2 mulier genere atque forma, praeterea viro liberis satis fortunata fuit; litteris Graecis [et]  
3 Latinis docta, psallere [et] saltare elegantius quam necesse est probae, multa alia quae  
4 instrumenta luxuriae sunt. Sed ei cariora semper omnia quam decus atque pudicitia fuit;  
5 pecuniae an famae minus parceret haud facile discerneres; lubido sic adcensa ut saepius  
6 peteret viros quam peteretur. Sed ea saepe antehac fidem prodiderat, creditum  
7 abiuraverat, caedis conscia fuerat: luxuria atque inopia praeceps abierat. Verum ingenium  
8 eius haud absurdum: posse versus facere, iocum movere, sermone uti vel modesto vel molli  
9 vel procaci; prorsus multae facetiae multusque lepos inerat.

*Sallustius, De coniuratione Catilinae 25*

---

## Tekst 4

De volkstribuun P. Servilius Rullus heeft een akkerwet ingediend; hij deed dit op initiatief van de populares. In de onderstaande tekst roept Cicero, die kort tevoren zijn ambt als consul heeft aanvaard, de andere volkstribunen op stelling te nemen tegen dit wetsvoorstel.

- 1 Quamobrem, per deos immortales, colligite vos, tribuni plebis, deserite eos a quibus, nisi  
2 prospicitis, brevi tempore deseremini; conspirate nobiscum, consentite cum bonis;  
3 communem rem publicam communi studio atque amore defendite. Multa sunt occulta rei  
4 publicae vulnera, multa nefariorum civium perniciose consilia; nullum externum periculum  
5 est, non rex, non gens ulla, non natio pertimescenda est; inclusum malum, intestinum ac  
6 domesticum est. Huic pro se quisque nostrum mederi atque hoc omnes sanare velle  
7 debemus.  
8 Erratis, si senatum probare ea quae dicuntur a me putatis, populum autem esse in alia  
9 voluntate. Omnes, qui se incolumes volent, sequentur auctoritatem consulis, soluti a  
10 cupiditatibus, liberi a delictis, cauti in periculis, non timidi in contentionibus.  
11 Quodsi quis vestrum spe ducitur se posse turbulenta ratione honori velificari suo, me  
12 consule id sperare desistat.

—  
—  
—  
*Cicero, De lege agraria I.9*

- regel 1* **colligere se** verstandig zijn  
**eos** *Namelijk de populares.*
- regel 2* **conspirare cum** achter iemand staan
- regel 6* **huic mederi** dit kwaad tegengaan  
**huic mederi** *Vul aan: velle debet.*
- regel 9–10* **soluti t/m contentionibus** *Bepalingen bij consulis.*
- regel 11* **spe duci** de hoop koesteren  
**turbulenta ratione** door onrust te zaaien  
**velificari** + *dativus* begunstigen

Einde